Dissertationes Academicae

Bonnenses

Medicae

ann.

1835 — 1837.

CONSPECTUS PARTUUM
IN
XENODOCHIO OBSTETRICIO
BONNENSI

PER SEPTEM ANNOS (1828—1834)
OBSERVATORUM
ADDITIS QUIBUSDAM NOTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM
EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS IN ALMA UNIVERSITATE REGIA
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
AD
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
GRADUM RITE ASSEQUENDUM
SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET
DIE XIII. NOVEMBRIS ANNI MDCCCXXXV.

PETRUS PIERUNG,
RHENANO-BORUSSUS.

BONNAE,
TYPIS CAROLI GEORGII.

DOCTORI

HERMANNO FR. KILIAN,

PRAECEPTORI AESTIMATISSIMO,

PROF. PUBL. ORD., MODERATORI XENODOCHII

OBSTETRICII BONNENIS,

SOC. LITT. PLUR. SOC.

ETC. ETC.

D. D. D.

GRATO ANIMO

AUCTOR.

LECTORI.

Non solum ii artem Apollineam fovent, qui novi aliquid ab ipsis inventi vel observati afferunt, sed et ii haud minus, qui aliorum observationes strenue colligunt easque ad fidem et veritatem descriptas posteris tradunt, ut conferendis iis ad accuratiorem cognitionem ducantur. Talia enim argumenta, quae celeberrimorum auctorum studiis nondum exposita, vel talia, quae ut iterum pertractentur, digna sunt, vix investigari possunt, ut scita et docta eorum elaboratio vires tironis medici haud excedant atque superent. Eo lubentius et cupidius occasionem, a cl. Professore Kilian, praeceptore optime de me merito, solita eius erga discipulos, et praecipue erga me benevolentia ac humanitate oblatam, eius observationes hoc in xenodochio collectas ordinandi et referendi amplexus sum. Quam collectionem si ei, qui mihi huius thematis auctor extitit, haud penitus displicuisse cognovero, summopere laetabor;

sin minus, voluntatem pro factis accipiet et humane ignoscet tironi, quum persuasum habeam, summum viro doctissimo et eruditissimo non esse rem oblatam, sed mentem, qua oblata est. Lectorem vero benevolum etiam atque etiam rogo et obsecro, ne praeceptoris praestantiam atque scientias ex hoc discipuli labore velit diiudicare.

Iam nil restat, quin praeceptori aeternum venerando, cl. Professori Kilian, Moderatori xenodochii obstetricii, cuius auspiciis per octo iam menses assistentis munere fungor, pro summa erga me liberalitate ac humanitate, qua me tum consilio tum libris large suppeditatis semper adiuvit, maximas quas possum gratias agam. Neque minus gaudeo, me hic invenisse occasionem summas gratias publice habendi cl. Professori Harless, praeceptori ubique terrarum noto et optime de me merito, ob eximiam erga me benevolentiam, qua libris quoque commodatis quos habet egregios et quam plurimos huic opusculo fautorem se praestitit.

THESES.

I.

Anatomia generalis ad medicum, specialis ad chirurgum magis pertinet.

II.

Dolor non semper morbi sedem, et

III.

Dolor pressu auctus non semper inflammationem indicat.

IV.

Quo compositius medicamentum, eo minus plerumque aegroto convenit.

V.

Neque amputandi neque aneurysmatis operandi methodus ulla optima.

VI.

Phleghymenitidis et orrhymenitidis symptomata haud dignoscenda.

VII.

Non datur sola corporis uteri contractio spasmodica.

VIII.

Nullus parturientis situs optimus.

IX.

Quaestio, num vel matris vel infantis vita praeferenda sit, medico obstetricio obvenire non potest.

INTRODUCTIO.

Xenodochium obstetricium, quod Bonnae floret, dimidiam superiorem partem aedium electoralium, ad omnes huius academiae praelectiones destinatarum continet et septentrionem versus Quaesturae adiacet. Complectitur in universum, culina, horreo et cella exceptis septendecim ampla cubicula et utroque aditu, quo instructum est, clauso ab omnibus totius domus partibus seiunctum est. Quod attinet ad cubicula, quae fere omnia una serie ianuis interpositis inter se cohaerent, haec ita distributa sunt: uno utitur director xenodochii ad negotia explenda, duo inhabitat assistens, cuius cubiculum dormitorium ad magnum conclave, quo gravidae interdiu versantur, attingit. Hoc permeans duo invenies cubicula puerperarum, quorum alteri adiacet conclave, quo artis obste-

triciae studiosi ad partum prope instantem observandum vocati conveniunt. Seriem horum conclavium continuam claudit id, quo partus eduntur. Caetera quoque cubicula omnia, excepto ancillae dormitorio, ianuis inter se cohaerent, ita ut ex auditorio, in quo etiam supellex instrumentorum, praeparatorum anatomicorum et librorum ad artem obstetriciam spectantium asservantur, per tria cubicula ad usum gravidarum privatarum destinata in conclave obstetricis pervenias, e quo altera ianua egressus permagnum intras cubiculum dormitorium gravidarum. Quo per alteram ianuam relicto via lata ac tabulis lapideis strata te excipit, qua gravidae sub vesperam ad ambulandum utuntur. Duorum quae restant cubiculorum alterum inhabitat famulus, in altero lintea atque caetera supellex reconduntur.

Numerus quidem gravidarum, quae una recipi possunt, haud tam magnus est, quum triginta tantum et duo lecti tam ad gravidas recipiendas, quam ad puerperas recreandas in hoc xenodochio inveniantur; attamen illud per plures iam annos magna semper gaudet partuum frequentia, quod neminem fugiet, qui eorum numerum septem postremis annis ad finem perductorum respiciat. Nam ex primo anni MDCCCXXVIII die usque ad ultimum diem anni MDCCCXXXIV partus omnino evenerunt DII, qui in singulos annos ita distribuendi sunt: summa omnium partuum erat in universum

anno	huius	saeculi	vicesimo	octavo *) .	54
„	„	„	„	nono . .	66
„	„	„	tricesimo	. . . .	82
„	„	„	„	primo . .	64
„	„	„	„	secundo .	72
„	„	„	„	tertio . .	82
„	„	„	„	quarto .	82.

Quos si singulorum annorum partus colligas, numerum iam ante laudatum reperies. Ut vero omnia, quae per hos septem annos hoc in xenodochio memoratu digna evenerunt, quisque brevi conspectu cognoscere queat, ea quae annotanda sunt in gravidis, parturientibus, puerperis ac recens natis, ex ordine collocabo atque his absolutis unam tantum notatu dignissimam historiam paullulum prolixius atque subtilius afferam.

I.

In gravidis.

Morborum numerus, quibus gravidae hoc in xenodochium receptae aut iam affectae erant **),

---

*) Hoc anno, et quidem inde a primo mensis Maii die cl. Professor Kilian directoris muneribus huius xenodochii fungebatur.

**) Causae vero, cur tam multae gravidae hoc xenodochium adeuntes iam morbis laborant, variis ex rebus deducen=

aut in illo commorantes laborabant, maior est, quam ut singuli hic recenseri possint; nam si omnes singulatim afferrem, seriem tantum nominum morborum, et quidem satis magnam proponere me oporteret, qua perlecta nemo ne minimam quidem utilitatem atque fructum caperet. Itaque melius duxi, quosdam tantum, sed praecipuos eorum commemorare.

Multae, et quidem longe plurimae gravidarum hoc xenodochium sanae adierunt et iterum sanae ex eo exierunt, et licet haud tam paucae morbis quibusdam gravioribus ac perniciosis vexatae sint, tamen ne *una* quidem in graviditate per totos hos septem annos diem obiit supremum. Maior pars gravidarum, quae omnino aegrotavere, secundariis laboraverunt graviditatis affectionibus vel, ut aliis hoc exprimam verbis, talibus, quae erant graviditatis sequelae, ex. gr. plethora, vomitu, dentium doloribus, fluore albo, rheumatismo uteri, varicibus, oedemate pedum ac nympharum, placenta praevia, cet. Aliae vero gravidae idiopathicis morbis i. e. qui ortum ex graviditate non

---

dae sunt; quaedam scabie vexabantur, quaedam ulceribus syphiliticis eorumque sequelis laborabant; uterque enim morbus hac in regione haud tam raro invenitur; plurimae vero gravidarum, quae aegrotaverant, itineris molestiis aut refrigerio, quod secundo fluvio Rheno descendentes sibi contraxerant, defatigatae atque languore confectae erant.

ducebant, affectae sunt, et quidem singulae earum gravioribus ac perniciosis, ex. gr. pleuropneumonia, bronchitide, pleuritide rheumatica, parulide, angina faucium, erysipelate faciei, varioloidis, febribus tam rheumaticis quam gastricis ac nervosis, arthritide, syphilide, scabie cet. Quaedam vero gravida malo laboravit, cuius origo pro certo indicari nequit, quum tam morbus idiopathicus esse, quam ex graviditate pendere possit et gravida nullius causae sibi conscia sit, nempe prolapsu ani. Alteri gravidae, quae partum iam in hoc xenodochio ante complures annos ediderat, in illo acciderat, ut perinaeum usque ad sphincterem ani rumperetur, quae ruptura tunc temporis, quo iterum nostrum xenodochium adiit, paene, sed non prorsus cicatrice firma clausa erat. Ex partu secundo sine ullo damno exiit.

II.

In parturientibus.

Quod temporis spatium attinet, quo parturientes ad partum edendum usae sunt, maxima adest diversitas, et praecipue notandum est, quosdam partus interdum celerrime decurrisse, licet neonati magni essent ponderis, quosdam vero tardissime sine omni causa, quae oculis vel sensibus percipi potuit, finem assecutos esse. Sic ex.

gr. partus observatus est, quo per dimidiam tantum horae partem durante infans octo librarum in lucem edebatur, et vice versa in altero partu, qui per centum et tredecim horas duravit, infans natus est, cuius pondus septem tantum libras aequabat. Partus celerrime transacti inter horae partem dimidiam ad quinque vel sex variabant; partus autem in longius protracti ad horas septuaginta usque ad centum, adeo ad centum et tredecim extendebantur; plurimi vero medium tenebant inter horas sedecim ad triginta. Quae temporis diversitas non solum in primiparis, sed etiam in multiparis animadvertebatur, ita ut quaedam primiparae partum ederent intra duas vel tres horas, quaedam vero multiparae per horas triginta vel quadraginta maximis vexarentur doloribus, priusquam infans natus esset. Causae, quibus multi partus producebantur, diversae fuerunt indolis, ut dolorum adynamia, dolores debiles *), dolores spastici, rheumatismus vel ple-

---

*) Multum inter se differre dolores debiles et dolorum adynamiam et sane prorsus alienos inter se esse, omnibus, qui arti obstetriciae perpaucam tantum navarunt operam, notum erit; eo magis miratus sum, quum in recensione nuperrime allata (cf. Schmidt's Jahrbücher etc. 1834. Bd. III. Heft. 2. pag. 239 sq.) medicus obstetricius, qui se ipsum perquam doctum et eruditum credit, ingenue de se fateatur, se inter dolores debiles et dolorum adynamiam nullum invenire posse discrimen. Ne iterum

thora uteri, pelvis aequabiliter iusto minor, pelvis rhachitica, venter propendens cet. Quarum affe-

---

quis queat de se talia dicere, pauca tantum, sed praecipua eorum discrimina hic afferre tentabo.

Dolorum adynamia semper est conditio pathologica; dolores vero debiles normam tantum actionum physiologicarum relinquunt. In dolorum igitur adynamia stadium incrementi et acmes, praesertim vero primum longissimum et languescens, decrementi autem fere nullum adest; dolores vero debiles normalem observant typum; adest enim tale stadium incrementi, acmes ac decrementi, minori tantum vi et energia, quale in doloribus normalibus, quos tam praeclare ac ingeniose clar. Boër (von dem Gebärungs-Drange, oder den Wehen, in Ej. natürliche Geburtshülfe etc. Wien 1817. Buch V. p. 220 sqq.) descripsit atque depinxit. In adynamia per ipsos dolores uterus sufficiente egens densitate ac firmitate mollior esse persistit, orificio eius non nisi sensim sensimque aperto, ita quidem, ut orificii apertura temporis diuturnitatem non adaequet foetusque pars praciacens firmiter haud intrudatur in pelvis introitum ac parturiens multum inde defatigetur. Simul hi dolores continuo durant maximosque parturienti afferunt cruciatus et in variis partus stadiis, praecipue autem in quarto existunt. Dolores vero debiles fere semper iam ab initio partus sese manifestant et semper intervallis liberis interpositis redeunt; uterus quidem his doloribus contrahitur, eius orificium quoque iusto tempore aperitur, sed his doloribus efficacitas tantum foetus propellendi eam ob causam deest, quia negotium ab iis postulatur, cuius explendi causa vires sufficientes iis desunt et ad quod perficiendum haud magis sunt idonei, quam puer,

ctionum frequentissimae erant dolores spastici ac dolorum adynamia, quorum removendorum causa

---

quem remediis excitantibus aliisque eo compellere tentamus, ut tantos virium nisus exserat, quanti in viro solum adulto ac robusto observari possunt. — Provenit dolorum adynamia plerumque in iis mulieribus, in quibus illam vel minime exspectamus, scilicet in plethoricis, in viraginibus, in primiparis aetate provectis, multo rarius autem in gracilibus, cachecticis aut phthisicis. Ex his elucet, dolorum adynamiam remediis adhibendis debellari, dolores vero debiles nullis ad maiorem virium efficacitatem impelli posse et ad partum tandem finiendum, si opus esset, nil nisi evolutionem infantis lege artis instituendam restare.

Confer.

Boër l. l.

Detharding., Ge, resp. L. A. Wernecke, specimen ethicae dolentium sub doloribus partus. Rostochii 1725. 4.

Gruner, C. G., resp. C. F. Heusinger, de dolorum partus spasticorum natura et medela. Jen. 1780. 4.

Hüter, Carl Ch., die dynamischen Geburtsstörungen. 2 Thle. Berlin 1830. 8.

Jörg, Handbuch der speciellen Therapie für Aerzte am Geburtsbette. Leipzig 1835. 8. pag. 149 sq.

Naegele, F. C., Lehrbuch der Geburtshülfe für Hebammen. Heidelberg 1830. pag. 96 u. pag 267 sq.

Nuss, P., Diss. de partubus difficilibus aut per vires naturae non perficiendis ob statum irregularem virium expellentium et curatione eorum. Heidelbergae 1819. 8.

Perthes, Jo. Jac., de doloribus parturientium. Erford. 1754. 4.

multa et quidem cuilibet conditioni apta remedia in usum vocata sunt, inter quae venaesectio ad removendos dolores spasticos primum obtinet locum *). Ad debellandam dolorum adynamiam

---

Schmiedel, Casim. Chrph., resp. C. F. Joerdens, pathologia dolorum gravidarum, parturientium et puerperarum. Erlang. 1750. 4.

Urich, Otho G. E., casus notatu dignissimus partus protracti adiectis nonnullis annotationibus. Heidelbergae 1835. 8.

Wigand, J. H., die Geburt des Menschen in physiologisch - diätetischer und pathologisch - therapeutischer Beziehung, grösstentheils nach eigenen Beobachtungen und Versuchen; herausgegeben von F. C. Naegele. Berlin 1820. Bd. II. pag. 197—291.

Zeitschrift, gemeinsame deutsche, für Geburtskunde, herausgegeben von D. W. H. Busch, L. Mende und F. A. Ritgen. Bd. III. Heft 2. p. 301 sq.

*) Venaesectione in tot morbis et conditionibus morbosis medici inde ab antiquissimis temporibus tam saepe et usi et abusi sunt, ut mirandum esse videatur, quod in partu tam diu neglecta sit et ipsis nostris diebus hocce remedium nondum eo, quo dignum sit, habeatur honore (cf. Jörg über die Bedeutung des Muttermundes in der Geburt in Ej. Schriften zur Beförderung der Kenntniss des Weibes und Kindes etc. Leipzig. 1818. Th. II. pag. 275 et pag. 287 sq.). Hoc vero inde maxime accidere nobis videtur, quod medici obstetricii olim partus potius instrumentis ac manu, quam medicaminibus accelerandum esse putabant. Postquam vero statum parturientis medici magis quam chirurgi oculis contemplare ac iudicare incoeptum est, multis in casibus remediis sim-

et ad excitandos dolores idoneos atque efficaces farrago quidem medicaminum proponitur, quo-

---

plicissimis id adipiscebantur medici, quod instrumentis vix unquam perfici poterat, et sane in dies magis magisque elucet atque experientia ipsa clare demonstratur ac stabilitur, medico obstetricio multo crebriores occasiones parturientibus utilitatem ac auxilium afferendi praeberi eruditione ac scientia accurata, quam sibi ex ipsa medicina strenuo studio comparavit, quam magna operandi facultate ac dexteritate, quae tamen minime negligenda est, sed perfecte quoque exculta medico obstetricio summum affert ornamentum ac decus. Prae caeteris autem remediis, quae in ipso partu summo cum levamine hac in regione adhibemus, venaesectio certe nominanda est. Eius vis praesertim in illis elucet casibus, ubi infans ob dolorum indolem malam atque perversam progredi nequit. Diversis vero modis dolorum natura vitiata atque turbata occurrit et variis rationibus secundum causae et conditionis diversitatem agere debemus. Venaesectio autem in hisce casibus praesertim verum levamen afferre videtur:

1. *in dolorum adynamia.* Haec vero saepenumero non in virium prostratione vel decremento, sed in earum suppressione posita est. Sanguinis enim copia nimia i. e. plethora parturientis uterus impediri potest, quominus vires suas exerceat eadem fere ratione, qua cerebrum sanguinis congestione in functionum suarum exercitatione naturali turbatur. Adsunt igitur vires uterinae, sed exseri nequeunt. Cognoscitur hic status pulsuum ictibus plerumque modice frequentibus, interdum quoque retardatis, duritie et plenitudine quadam praeditis. Quum vero et ipsorum pulsuum vis suppressa

rum tamen perpauca tantum veram parturientibus praebebant utilitatem; pluries adhibitum est secale

---

esse possit et creberrime re vera suppressa sit, in hoc signo solo omnem nostram fiduciam ponere non licet, sed *totus parturientis habitus* est consulendus, ut in tam multis aliis casibus. Nam in statu vere plethorico facies rubet, cutis calet, ipse vero uterus tactu est tensus, rigidus; os uteri iusto crassius, tumidum, turgescens atque calet, ut ipsa etiam vagina, quae digito introducto sensum dat caloris inconsueti et adaucti Ipse infans nonnunquam huius congestionis sanguineae particeps fit; nam inquietudine quadam in utero movetur matrisque mala hoc motu auget. Si hoc in statu parturientis modica sanguinis copia mittitur, dolores fere semper exacerbantur infantisque caput, si praevium est, deorsum movetur, ita ut venaesectio optimum remedium parturitionum excitans esse videatur.

2. in doloribus sic dictis spasticis. In normalibus enim doloribus os uteri, uti omnibus notum est, eo magis extenditur et aperitur, quo magis fundus contrahitur; in doloribus vero spasticis vis uteri muscularis fere semper via contraria agit, ita ut in ipso dolore orificium uteri magis constringatur, fundus vero extendatur. Nonnunquam etiam accidit, ut pars solummodo uteri hoc spasmo corripiatur, quo fit, ut infans vel hoc iam nato placenta retineatur. Hic vero spasmus solum uteri corpus nunquam corripere potest, quem spasmum omnino non admitto, et una cum nostra schola me persuasum habeo, ut in quacunque uteri contractione, quae vocatur *stundenglasförmig*, internum tantum uteri orificium sursum agatur et constringatur. Cognoscitur vero hoc genus dolorum eo, quod mulier multo ma-

cornutum, tum in infuso, tum in pulvere *); neque etiam negligebatur, si iustae ac certae

---

gis excruciatur; in ipsa remissionis tempore multopere est defatigata atque os uteri tantum abest, ut aperiatur, ut nonnunquam ipsis vehementissimis doloribus magis claudatur. In abnormi infantis situ nonnunquam accidit, ut orificii uteri externi, praesertim vero interni margines partem foetus praeiacentem et iam protrusam spasmodice circumdent, et quo vehementiores evadant dolores, eo fortius constringant. Uterus caeterum in hoc dolorum genere durus tensusque tangitur atque vagina aut sicca et calidior, aut muco aquoso obtecta et normalis temperaturae invenitur. Accedunt nonnunquam etiam alii spasmi, uti convulsiones, colica atque interdum etiam animi deliquium, praecipue si, quod haud tam raro accidit, dolores sic dicti desilientes sive aberrantes exoriuntur. Nisi in tali rerum statu parturientis vires nimis prostratae sunt, primum et optimum remedium, ad quod confugi necesse est, larga venaesectio se praestat, qua instituta et quidem ex magna venae apertura, ut quam celerrime collapsus vasorum uteri intret, maiore cum securitate alia remedia et ipsa nervina nonnunquam, etsi rarissime porrigi possunt; sed haud raro dolores iam induunt naturam atque indolem regularem, simulac vena est secta.

*) Si parturientis conditio talis est, ut in doloribus irregularibus ad partum promovendum haud sufficientibus venaesectio non est indicata vel, etsi iam semel instituta sed haud repetenda, tum medici obstetricii ad illa transeunt remedia, quibus vis inesse dicitur peculiaris uteri dolores excitans. Usi sunt ad hunc finem multis nervinis, opio, cortice vel tinctura cinnamomi, infuso cro-

aderant indicationes, licet multorum medicorum obstetriciorum, et quidem gravioris momenti opi-

---

ci, sabinae, taxi etc. etc. Recentioribus autem temporibus, ubi omnia haec remedia excitantia ab optimis artis obstetriciae magistris abiecta sunt, secale cornutum saepius adhibebatur. Hoc remedio dolores languentes statim crescere atque nonnunquam brevi tempore et foetum et secundinas protrudere, omnes fere conveniunt; proprium autem est huic remedio, tales provocare et excitare dolores, quibus totus quidem uterus contrahitur, sed qui sine ulla fere intermissione succedunt, ita ut ex ipsa dolorum natura iam ex solo adspectu diiudicari possit, num hocce remedium parturienti sit porrectum. Caeterum haud sine magna circumspectione atque respectu omnium rerum porrigendum est; nam saepe nimia partus celeritate hoc remedio excitata matri omnes illas noxas, quae partum nimis acceleratum sequuntur, afferre potes, quas vero huc recitare longum sit. Sunt autem et fuerunt, qui etiam infantibus detrimento esse contendant; nam haud ita raro plane asphyctici provenire dicuntur, postquam haec medicina matri erat porrecta. Cui sententiae omnino plane contradicere eamque reiicere haud audeo, quum mihi ipsi occasio huius medicaminis vim ac efficacitatem observandi pluries data sit; nam novies quidem hoc in xenodochio prosperrimo cum eventu adhibebatur, sex vero in partubus infantes aut iam emortui aut quasi ebrii et soporosi in lucem edebantur et haud dissimilem iis praebebant adspectum, quorum matres in partu magnam opii copiam sumserant. Prorsus eadem se vidisse affirmat cl. John Ingleby in recentissimis eius ac memoratu valde dignis observationibus de secali cornuto. (Conf. Ej. Practical

niones atque sententiae de huius medicaminis vi et efficacitate in uterum agendi magnopere inter se

---

Treatise on Uterine Hemorrhage. London. 1832. 8. pag. 77 sq.)

Difficile tamen est rectum de hac re ferre iudicium et adhuc sub iudice lis est. Nam ipse clar. professor Kilian, qui permultas hac in re instituit observationes, nondum decidere audet, an revera tam infesta sit foetui haec medicina. Hoc tamen ei ex omnibus quas instituit observationibus optimum elucet, ut huius medicaminis usum in partu ipso magnopere timeat.

Confer.

Brunatti in Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Berlin. XXVI. 2. S. 388. und in Siebold's Journal etc. IX. 3. S. 558. pro et contra disserit.

Hall, Ch., in The London medical Reposit. and Review. 1826. Sptbr.

John Ingleby l. l.

Keyl, B. G., Diss. de secali cornuto eiusque vi in corpus humanum salubri et noxia. Berol. 1823. 8.

Lobstein, Jean Frédéric, Compte sanitaire de la salle des accouchées de l'hôpital civil de Strassbourg pour les annees 1804 à 1814 inclusivement etc.

Loewenhardt in Siebold's Journal Bd. X. St. 2. pag. 307 sq.

Lorinser, C. J., Versuche und Beobachtungen über die Wirkungen des Mutterkorns auf den menschlichen und thierischen Körper. Berlin 1824. 8.

d'Outrepont in Gem. deutsch. Zeitsch. etc. II. 1. p. 179. 3. pag. 316. V. 4. p. 645. und VII. 3. pag. 316. pro et contra loquitur.

dissentiant, usus boracis venetae *). Saepenumero quoque observatum est, dolores antea irregulares

---

Prescot in Sammlung neuer auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte etc. Bd. XI. St. 3. pag. 381 sqq. und in Hufeland's Bibl. Jahrg. 1825. Nov. u. Dec. Heft.

Robert, E. F., Commentationes in secalis cornuti historiam med. phys. Marburg. 1825. 8.

Ed. von Siebold in Siebold's Journal etc. X. 1. pag. 5.

Ulsamer in Jahrbücher der philosophisch - medicinischen Gesellschaft zu Würzburg von J. B. Friedreich. Würzburg 1828. I. 1. pag. 90.

Villeneuve, A. C, L., Mém. hist. sur l'emploi du seigle ergoté etc. Paris 1827. 8. Uebersetzt in Sammlung auserl. Abhandlungen für Aerzte. Bd. XXXV und XXXVI.

Voigtel, Ed., über die Anwendung des Mutterkorns in der Geburtshülfe. Magdeburg 1830.

*) Multo meliori, quam secale cornutum, ac semper prosperrimo cum eventu se praestitit borax, quae praesertim a clar. Wigand (Ej. die Geburt des Menschen etc. Berlin 1820. Bd. I. pag. 101 sqq.) saepe adhibita a multis medicis obstetriciis oblivioni est tradita. Velocitate quidem effectus in provocandis et excitandis doloribus secali cornuto inferior, sed securitate multo superior est; qua re omni iure commendari potest. Effectus plerumque iam hora tantum dimidia praeterlapsa intrat, postquam sumta est medicina. Coniungitur plerumque cum aliis remediis, ex. gr. cum salinis, uti magnesia sulphurica, ubi diathesis inflammatoria praevalet, cum nervinis, ubi conditio parturientis potius est spasmodica.

atque minime efficaces vomitu spontaneo orto celeriter ac subito regulares atque maxime efficaces redditos esse.

Magnam partus moram saepius afferebat venter propendens, ita ut caput infantis praeiacens per longum temporis spatium in pelvis apertura superiore teneretur; quas moras aptus parturientis situs et ventris sustentatio nonnunquam tam celeriter superavit, ut caput infantis uno dolore per cavitatem pelvis ad eius aperturam inferiorem ageretur. Obliquitas ad latus etiam aliquoties observabatur, sed nunquam partus decursum valde turbavit et semper situs tantum conveniens prosperum adduxit partus exitum *).

Fere quotannis, et quidem saepius tempore autumnali evenit, ut iam ante partum vel in doloribus praesagientibus aquae velamentis ruptis effluerent sine ullo aut matris aut infantis damno. Semel adeo liquor amnii verus quatuordecim die-

---

Confer.:

Busch in Gem. deutsch. Zeitschrift I. pag. 188.

Hufeland in Siebold's Journal 1824. Novb.

Kopp, J. H., Beobachtungen im Gebiete der ausübenden Heilkunde. Frankf. 1821. S. 105.

Lobstein in libro antea laudato.

Löffler in Siebold's Journal 1826. April.

Rudolph in Siebold's Journal 1824. Novb.

Wigand l. l.

*) Qui situs unicuique casui respondens semper quoque sufficiet et quaevis operatio ea de causa instituta meo iudicio falsa nititur indicatione.

bus ante partum iam profluxerat; simul quoque pluribus in partubus aquae exierant squalidae maximeque foetentes, et in uno casu adeo meconio mixtae; attamen omnes fere hi infantes statim alto clamore vitam manifestabant.

Omnes haemorrhagias uteri *), quae evene-

---

*) De metrorrhagia in ipso partu pauca tantum addam. In omnibus fere partus stadiis occurrit et frequentior atque lethalior invenitur, quam alius quicunque casus, quo parturiens affligi potest. Si modica solummodo sanguinis copia in primis partus stadiis effluit, e vasis interioris uteri superficiei provenit neque ullius est momenti; quodsi vero maior sanguinis copia eiicitur, a placentae parte quadam mature soluta derivanda est. Accidit enim nonnunquam, ut placenta orificio uterino quam proxime inserta inveniatur, quo fit ut, simulac os uterinum dilatari incipiat, vasa, quibus placenta utero adhaeret, rupta sanguinis haud exiguam copiam emittant. Sed in illis etiam casibus, ubi placenta consueto loco insidet, violentia quadam externa, parturientis inquietudine, potuum calidorum vel medicaminum abusu, praesertim vero conditione morbosa vasorum placentae fieri potest, ut placenta prius quam par sit solvatur. Magnum in utroque casu saepe adest periculum, ne nimia sanguinis iactura pereat aegrota; qua re cito sed tute quoque agendum est. Si in placenta praevia os uteri nondum satis apertum est, ut medici obstetricii manus *sine ulla vi* introduci possit, remediis tantum palliativis pro tempore utendum est. Ratio vero hunc partum secundum praecepta cl. professoris Kilian aliorumque medicorum obstetriciorum praestantissimorum tractandi optima mihi

runt, huc referre, dissertationem hanc longam atque latam redderet sine ullo lectoris fructu;

---

semper videtur, licet cl. Jörg in libro novissimis diebus edito (Ej. Handbuch der speciellen Therapie für Aerzte am Geburtsbette. Leipzig 1835. p. 90. §. 91.) medicos ab ea avocandos esse censet. Viam vero, quam illi in tali casu ingrediuntur, ad diiudicandum breviter proponam. Optimum remedium palliativum his in partubus spongia sat magna se comprobat, quae charta tenuissima bibula circumvoluta vaginae usque ad orificium uteri immittitur, simulque fomentationes frigidae genitalibus externis eo scopo imponuntur, ut sanguinis coagulatio promoveatur et maturetur. Hisce remediis, quibus interne adiungitur potus acidus, eo tantummodo consilio utimur, ut sanguinis profluvium sistatur, donec orificium uteri ita apertum inveniatur, ut faciliori negotio dilatari foetusque una cum placenta lege artis extrahi possit; quo facto uterus contractus sanguinis profluvium sistit. Haec remedia plurimis, et fere dicam omnibus in casibus sufficient; sin minus, uti cl. Jörg affirmat, et sanguinis magna copia per spongiam permanaret, tum haud diutius cunctandum et dilatatio orificii uterini cruenta sive manualis sive instrumentalis multum praeferenda esset. (Cf. Herm. Fr. Kilian Die operative Geburtshülfe. Bonn 1834. Bd. I. p. 241 sqq.)

Si in posterioribus partus stadiis haemorrhagia intrat, considerandum est, num natura solis ipsius viribus brevi tempore partum ad finem felicem perducere queat nec ne, atque si propter casus gravitatem naturae conamina atque auxilium exspectare non possumus, instrumentis et quidem plerumque forcipis applicatione infantem extrahere debemus. Si vero expulso iam infante haemorrha-

nam saepissime haemorrhagiae partum statim secutae sunt, quibus puerperae duodecim ad sede-

---

gia existit, plerumque a placenta aut provocatur aut alitur et fovetur. Hoc in casu omnis et unica tantum salus puerperae in placenta cito sed caute ac prudenter solvenda et extrahenda posita est. Quodsi vero placenta iam remota uterus nondum contrahitur atque ideo haemorrhagia sustentatur et continuatur, frigus variis modis variisque formis externe, praesertim aspergendo abdominis integumentis aetherem sulphuricum, et si res urget quoque interne applicandum et uterus mox fortiter mox leniter manu irritandus est, idque et extra et in casibus gravioribus atque perniciosioribus quoque intra abdomen fieri debet. Remedia etiam irritantia, si casui respondent, praesertim tinctura opii, multum iuvant.

Confer.

Baudelocque, A. C., Traité des hémorrhagies internes de l'uterus, qui surviennent pendant la grossesse, dans la cours du travail et apres l'accouchement. Paris 1819.

Brunner, J. D. E., Diss. de partu praeternaturali ob situm placentae super orificium uteri internum. Arg. 1730. 4.

Burns, John, Geburtshülfe mit Inbegriff der Weiber- und Kinderkrankheiten; herausgegeben von H. F. Kilian. Bonn 1834. pag. 328 u. 339 sq.

Hayn, J. B., Diss. inaug. de placenta praevia. Duisb. 1812. 8.

Heffter, C. F., De placenta praevia. Lipsiae 1804. 4.

Jörg, specielle Therapie etc. p. 83 sq. §. 85 sq.

Kilian, H. Fr., l. l.

cim uncias amiserunt, tum vero sine ullo puerperae detrimento sedatae sunt. Undecies vero haemorrhagiae tam profusae extitere, ut celerrime puerperis succurrendum esset; nam minima sanguinis copia, quae his casibus per aliquot tantum sexagesimas horae partes effluxit, fuerunt duae librae, maxima vero pondus quinque librarum aequavit. Bis haemorrhagia in ipso partu exorta est, qua re infantes quam celerrime ad lucem promovendi erant. Plurimae haemorrhagiae remediis aptis statim adhibitis fere nullam afferebant

---

Koelpin, A. G., De placenta praevia in partu. Stettin. 1791. 8.

Michels, C. Ph., De partu propter praeviam placentam praeternaturale. Rostochii 1823. 8.

Obertäuffer in Stark's neues Archiv für die Geburtshülfe mit Hinsicht auf Physiologie, Diaetetik und Chirurgie. Jenae 1798. Bd. I. St. 2. p. 1.

Osiander, der Jüng., Anzeigen zur Hülfe bei unregelmässigen und schweren Geburten. Göttingen. Bd. III. p. 429 sq.

Pabst, C., Diss. de placenta praevia. Jenae 1828 4.

Peuker in Beobachtungen und Abhandlungen aus dem Gebiete der gesammten practischen Heilkunde von österreichischen Aerzten. Bd. IV. p. 428 sq.

Saxtorph, Matth., De placenta in orificio inradicata, in Collect. Soc. Med. Havn. 1774. vol. I. p. 310 sq.

Schacher, F. G., De haemorrhagia gravidarum. Lipsiae 1727. 4.

Wigand in Hamburger Magazin für die Geburtshülfe. II. 1. p. 107 sq.

noxam puerperis; et licet quaedam iam syncoparent magnaque virium prostratione laborarent ob perditam sanguinis copiam, tamen puerperium nil notatu dignum praebuit; quibusdam quidem primis puerperii diebus lac deficiebat ad nutriendum infantem, sed viribus mox restitutis hoc damnum evanuit. Duae vero puerperae, quarum quaeque ad minimum quinque sanguinis libras amisit, diem obiere supremum, et quidem altera ob nimiam sanguinis perditi copiam, altera vero ex subsequenti peritonitide atque putrescentia uteri.

Quod decursum partuum omnino attinet, notatu dignissima breviter nunc referam.

Pluribus gravidis, ut supra monui, aquae iam ante dolores praesagientes lente et clam effluxerant, quo defluxu partus plane sicci redditi sunt; sed, mirum, hi partus ad unum omnes prosperrimo gaudebant eventu. In aliis vero partubus, ubi liquoris amnii copia permagna erat, aut dolores spastici redditi sunt aut dolorum adynamia intravit, et partus haud prius quam velamentis ruptis bene processit. Quae operatio ad rumpendas aquas omnino undecies instituenda erat tum ob dolores irregulares, tum ob velamenta solidiora ac crassiora, ita ut aliquoties instrumentis adeo applicatis disrumpenda essent. *)

---

*) De indicationibus ad rumpendas in partu aquas multi

Aliquoties observabatur una cum capite praevio brachium vel manus praeiacens, quae res plu-

---

quidem auctores, et sane magni momenti prolixe ac diligenter disseruerunt; attamen opiniones variorum auctorum hac in re, licet operatio sit quam facillima, haud inter se consentiunt; qua re operae pretium mihi videtur, paucis tantum verbis praecipuas indicationes huc repetere.

Instituenda igitur operatio est, si orificio uteri plane aperto velamenta intra legitimum temporis spatium, doloribus integris ac bonis haud rumpuntur. Quae res pendere potest aut ab doloribus ad rumpenda velamenta haud solito crassiora nimis debilibus, aut ab velamentis textura et structura crassioribus. Altero in casu digitis tantum, altero vero instrumentis interdum opus est. Causae vero, cur dolores debiliores reddantur, aut in tota parturientis conditione aut tantum in eius utero positae esse possunt, si hic nimia liquoris amnii copia aut pluribus infantibus solito maiore extensione laborat, qua eius vires ad contractionem et ad propellendum foetum diminuuntur atque exhauriuntur. Ad quos dolores augendos velamenta orificio uterino aperto statim rumpenda sunt. Haud diutius quoque cunctandum est, si conditio parturientis in ipso partu periculosior et perniciosior reddita est, si ex. gr. haemorrhagia, syncope, convulsiones, respiratio anhelosa, vomitus haud sedandus etc. intrant. Tum ob partum accelerandum aquis effluxus parandus est. Quod ad haemorrhagiam in partu attinet, probe dignoscendum est, utrum sanguinis profluxus pendeat a placenta praevia an a solutione partiali placentae normali loco insertae. Maximum hoc secum fert discrimen; nam si velamenta placenta praevia solito prius discerpis, parturienti potius

rimis in casibus nil afferebat detrimenti, exceptis tamen duobus, ubi ruptura perinaei, attamen

detrimentum quam adiumentum afferas, quum haemorrhagia certe haud diminuatur, sed potius augeatur. Si vero haemorrhagia in partu capite vel clunibus praeviis ex partiale placentae solutione vel etiam alia ex causa originem ducit, velamentorum ruptio quam mature instituenda est, quia omne studium omnisque opera in eo ponenda est, ut pars foetus praeiacens quam profunde in pelvis cavitatem descendat et uteri volumen atque vasorum sanguinem fundentium lumina diminuantur et coarctentur. Situ vero infantis abnorme haec operatio haud prius perficienda est, quam versio foetus quoque institui potest. Per se etiam intelligitur, operationem ad aquas rumpendas in omnibus partubus semper indicatam esse, in quibus alia, et quidem gravioris momenti operatio cito instituenda est, sc. versio, applicatio forcipis vel alia, cuius perficiendae causa manus vel instrumentum medici obstetricii ipsam partem foetus praeiacentem prehendat necesse est. Haud negligenda quoque est operatio, si pars foetus ad partum prospere perficiendum idonea unoquoque dolore in pelvis cavitatem agitur, dolore vero cessante iterum evanescit, quod saepissime post versionem foetus in caput, velamentis nondum ruptis, accidit. Num vero velamenta in unoquoque partu accelerato rumpantur necesse sit, dubito, quum ad partum retardandum plura alia, et quidem innoxia nobis praesto sint remedia.

Operationem ipsam, licet facillimam, semper et in unoquoque casu solis digitis sine omne aut matris aut infantis noxa perficiendam esse, uti quidam affirmant, haud credo, quum attrahendis et distorquendis velamen-

haud magna evenit. Altero in partu quoque accidit, ut perinaeum usque ad sphincterem ani rumperetur, sed haec ruptura practicantis culpa commissa est; tantum enim abfuit, ut perinaeum sustentaret, ut infantis capite bene evoluto prae-

---

tis placenta facile maturius solvatur indeque haemorrhagia perniciosa provocari possit, ut quoque saepenumero iam factum est. Iis vero plane assentior, qui in tali casu instrumentum quam simplex et innoxium atque ad operationem perficiendam valde idoneum proponunt, quale nobis profert cl. professor Kilian, cuius descriptionem breviter affero.

Est bacillum ferreum, tenue, rotundum atque laevigatum, cuius longitudo sex pollices aequat et quod in inferiore parte paullulum crassius cuspidem versus sensim sensimque attenuatur. Cuspis rastello, quod medium tenet inter acutum et obtusum, instructa est; infra vero cuspidem ipsam inflexio ad excipiendum digiti apicem parata est. Instrumentum manubrio eburneo unum et dimidium pollicem longo praeditum est. Duce digito indice vaginae ita immittitur, ut rastelli cuspis unum alterumve digiti marginem spectet, ne partes, quibus parcendum est, laedantur. Si vero digitus velamenta rumpenda attigerit, instrumentum ita vertitur, ut digiti apex totam expleat flexuram, quo rastellum contra velamenta dirigitur et facillime leni tantum digiti motu versus velamenta in ea intrudi haecque discerpi possunt.

Confer.

Kilian, H. Fr., Die operative Geburtshülfe. Bonn 1834. Th. I. pag. 265 sqq., ubi praecipuos de hac operatione scriptores citatos invenies.

vii frontem premeret atque attolleret. Puerperio vero superato perinaeum quoque cicatrice firma coniunctum erat.

Funiculus umbilicalis saepenumero aut praeiacens aut prolapsus aut collum sive extremitates complectens animadvertebatur, sed fere semper sine ullo auxilio et sine ulla infantis noxa partus processit; bis vero iam ante totum infantis corpus natum ob hanc complicationem perscindendus erat.

Partus praematuri quoque novies observati sunt, quorum causae non semper eruendae erant; plurimae harum gravidarum itinere defatigatae aut refrigerationem perpessae cum doloribus ad partum xenodochium intrarunt. Infantes omnes aut iam emortui aut semianimes nati sunt, quorum sex remediis idoneis adhibitis (balneis e floribus chamomillae paratis, calore sicco, moscho interne sumto etc.) ad vitam revocati sunt; unum vero, qui summe anhelans simul induratione telae cellulosae laboravit, amisimus et duo cum certissimis mortis indiciis in lucem editi sunt.

Pluries tam in clinico quam in policlinico eclampsia parturientium observata est et semper aptis remediis adhibitis puerperae servatae sunt *). Semel quoque perfecta uteri gravidi atresia **)

---

*) Confer. De eclampsia parturientium. Diss. inaug. medico-obstetricia auctore Car. Jos. Hergersberg. Bonnae 1832.

**) Confer. De perfecta uteri gravidi atresia eiusque ope-

occurrit, ubi infans tantum dilatatione orificii cruenta et tum ob dolorum adynamiam forcipe ad lucem promoveri potuit.

Observabatur quoque semel prolapsus vaginae, qui vero partus decursum plane non turbavit.

Placenta praevia aliquoties animadversa et semper remediis supra laudatis tractata est.

Infans cuiusdam gravidae, quae rhachitide laboravit, impressiones et contusiones cranii statim post partum ostendit, quae tamen sensim sensimque aqua frigida superimposita evanuere.

Bis sectio caesarea instituta est, et quidem prima infelici eventu, quum infante quidem servato mater quatuor post operationem diebus praeterlapsis mortua est *), altera vero felicissimo coronata est successu, quum mater ac infans servatae post aliquot hebdomades xenodochium sani ac optima valetudine gaudentes relinquerent **).

---

ratione. Diss. inaug. medico-obstetricia, auctore Matth. Noisten. Bonnae 1831.

*) De Sectione Caesarea in Clinico obstetricio Bonnensi nuper instituta. Diss. inaug. auctore Maxim. Kuester. Bonnae 1829.

**) Dissertatio inauguralis medica sistens historiam partus sectione caesarea feliciter expediti, adiunctis quibusdam adnotationibus, auctore Petro van Ghemen. Bonnae 1833.

Quod operationes hoc in xenodochio omnino institutas attinet, breviter graviores nunc enumerabo.

Forceps omnino applicata est vicies et ter *),

---

*) Haud alienum proposito erit et mea quidem sententia nemo me merito reprehendet, si hoc loco brevi in conspectu afferam, quoties in quibusdam aliis *clinicis* obstetriciis, exceptis tamen magnis illis xenodochiis, uti Viennae, Parisiis, Dublini etc. florent, operationes ad nostram artem pertinentes, et praecipue forcipis applicatio, institutae sunt, ut ex hac comparatione quodam tantum modo earum frequentia diversis in institutis eluceat. Quam collectionem omnibus suis numeris ac partibus minime perfectam atque expletam esse, equidem probe scio; sed hoc neminem offendet, si ingenue fateor, mihi tantum eorum praeceptorum, quorum mentionem facio, scripta vel libros ad manus fuisse. Quorum vero scripta inspicere potui, his sine discrimine usus sum. Semper partus plurium annorum citavi, ut his collectis summa efficiatur operationum; qua re unum alterumve auctorum quos perlubenter attulissem, uti cl. Carus aliosque, plane silentio praeterii, quia *unius* tantum anni partus ab iis relati mihi praesto erant. Quod ad forcipis applicationem attinet, in omnibus quos attuli casibus forceps capite infantis praevio applicata est, quas omnes quam exacte atque accurate collegi. Si fortasse autem in enumerandis caeteris operationibus vel in referenda matrum aut infantum morte maior desideretur industria ac diligentia, hoc mihi opprobrio esse non potest, quum ea tantum quae annotata inveni referam. Ex conspectu operationum pagina ultima huius dissertationis allato invenies, quotiescunque forcipis ap-

versio in pedes quater instituta, accouchement

---

plicationem varii artis obstetriciae praeceptores instituerunt, nempe:

Betschler (Neue Zeitschr. Bd. II. H. 2.) .	1 ad 37.
Busch (Geburtshülfliche Abhandlungen nebst einer Nachricht über die academische Entbindungsanstalt zu Marburg. Marb. 1826)	1 ad 16.
Haase (Gem. Zeitschr. Bd. IV. H. 3. Bd. V. H. 4. Neue Zeitschr. Bd. I. H. 3.)	1 ad 12.
Jörg (Schriften z. Beförderung d. Kenntniss des Weibes und Kindes. Leipzig 1818. Th. II. pag. 312 sqq.)	1 ad 15.
Kilian (h. diss.)	1 ad 22.
Mende (Gemeins. Zeitsch. Bd. I. H. 3. Bd. V. H. 3. Bd. VI. H. 3.)	1 ad 35.
Merrem (Gem. Zeitschr. Bd. I. Heft 3. Bd. III. H. 2.)	1 ad 16.
Naegele (Heidelb. Klin. Annalen Bd. I. H. 4.)	1 ad 32.
d'Outrepont (Gem. Zeitschr. Bd. III. Heft 2. Bd. V. H. 4. Neue Zeitschr. Bd. II. H. 2.)	1 ad 24.
Rainer (Gemeins. Zeitschr. Bd. I. H. 2.	1 ad 36.
Ritgen (Entbindungsanstalt zu Giessen. 1820.)	1 ad 9.
El. von Siebold (Journal für Geburtshülfe Bd. III. und IV.)	1 ad 11.
Ed. Casp. Jac. von Siebold (Entbindungsanstalt zu Berlin. 1829.)	1 ad 9.

forcé bis, extractio cum versione ter, placenta ad-

Stein iunior (Annalen der Geburtshülfe überhaupt und der Entbindungsanstalt zu Marburg insbesondere. I. Stuck. Leipz. 1808.) 1 ad 6.

Ex hac comparatione allata facillime magna, quod ad numerum spectat, discrepantia ac diversitas in applicatione forcipis apud singulos artis obstetriciae praeceptores elucet; quae res tamen, si accuratius et subtilius quaeris atque investigas, haud tam mira est, quam primo adspectu fortasse quis credat. Nam ex omnibus quae praesto sunt observationibus constat, quo maius xenodochium obstetricium esse i. e. quo plures gravidas uno eodemque tempore recipi posse, eo minorem pro rata parte fere semper numerum existere applicationum forcipis. Causa huius rei mihi quaerenda esse videtur in eo, quod maiora illa instituta cum urbibus in eadem fere ratione ponenda et comparanda sint, ubi quoque numerus partuum normalium illum irregularium multo antecedit. Indicationes, quibus illi praeceptores ad hanc operationem instituendam usi sunt, hic repetere longum esset et nemo postulabit, praesertim quum in libris antea citatis prolixius exposita sint. Nostro vero in xenodochio numerus forcipis applicationis longe minor appareret, si eadem cum pluribus aliis institutis haberet praecepta; sed hoc in xenodochio nulla, quae mense graviditatis nono, et saepenumero adeo priori tempore recipi vult, morbi cuiusdam causa, ex. gr. syphilidis, scabiei etc. excluditur. Quaedam gravidae, quae prioribus iam temporibus magna cum difficultate domi partum ediderant, nunc ad xenodochium confugiebant, solatium et auxilium quaerentes, quod iis quoque haud denegatum est. Multae vero, iam corpore et animo

haerens et cum utero coalita quater soluta est *); sectio caesarea ut iam monui bis peracta est, semel versio foetus spontanea in caput velamentis ovi nondum ruptis perbene ab omnibus qui tunc aderant animadversa est.

Nati sunt in universum ab DII parturientibus DVIII infantes, quum sex partus gemelli obvenirent, et quidem CCLXX pueri et CCXXXVIII infantes sexus sequioris. CCCCLXXXVII infantes capite praevio nascebantur; novem erant partus

---

aegrotantes, si xenodochium adibant, recipiebantur; qua re partus quoque saepissime difficilior reddebatur et forcipis applicatio fieret necesse erat. Nam in plurimis casibus, qui forcipis auxilio ad finem perducti sunt, eius applicationem indicabant aut dolorum adynamia, quae fere semper ex morbis praegressis originem ducebat, aut syphilis et ulcera syphilitica, aut etiam, licet rarius, pelvis coarctatio. Octies enim ob dolorum adynamiam, novies vero ob syphilidem vel ulcera syphilitica forcipis usus infantum causa necessarius fuit, licet dolores his in partubus satis fuerint idonei ad feliciter tandem partum finiendum. In quinque casibus ob pelvis coarctationem forceps applicaretur necesse fuit et semel umbilicus prolapsus ad maturandum partum nos impulit; attamen infans partu ad finem perducto iam emortuus erat.

Confer.

Kilian's operative Geburtshülfe Bd. II. pag. 445 sq.

*) De dignitate artificialis placentae solutionis. Dissertat. inaug. auctore Joann. Bapt. Frings. Bonnae 1830.

agripparum; tres infantes pedibus, duo facie praevia in lucem edebantur. In tribus partubus digitus explorans humerum praeiacentem dignoscebat; et ter situs infantis praematuri plane transversus animadvertebatur. Semel quoque graviditas extrauterina observabatur. Exanimes vel semianimes et ad vitam haud revocandi septendecim pueri et undeviginti puellae, in universum triginta et sex infantes nati sunt. Mortui sunt morbis subsequentibus in universum viginti infantes, quorum duodecim pueri et octo puellae erant.

III.

In puerperis.

CCCCLXII puerperae sanae atque validis viribus praeditae ex xenodochio dimitti potuerunt, licet permultae harum plus minusve morbis laboraverint gravioribus, ut pleuropneumonia, peritonitide, metritide, haemorrhagia, orrhymenitide uterina vel hepatica, febri gastrico-inflammatoria, rheumatica, intermittente vel puerperarum *), catarrho bronchiali, irritabilitate adaucta bron

*) Confer.

De febri puerperali epidemia etc. Diss. inaug. auctore Leo Levie. Bonnae 1833.

chiorum etc. Quadraginta puerperae, quae haud prorsus restitutae xenodochio exibant, aut in clinicum medicum vel chirurgicum receptae, ex. gr. una, quae fistula urethrovaginale ex partu perdifficile nacta laboravit*), plures, quae syphilide

---

*) Cuius historiam paucis tantum verbis hic addam.

Maria V. . . . . . . t ex A . . . . n, duodetriginta annos nata, bona se semper valetudine gavisam esse affirmabat. Parentes iam prima infantia morbis ei ignotis amiserat, quo accidit, ut a cognatis summa paupertate et egestate laborantibus una cum eorum liberis educaretur. Menses normali tempore se ostenderant et normalem observarant typum usque ad hanc primam graviditatem. Die vicesimo primo mensis Martii 1830 recepta staturam ostendit parvam, sed robustum corporis habitum et validam constitutionem. Exploratione tam externa quam interna instituta nil contra normam inveniri potuit. De nihilo quoque questa est usque ad diem secundum mensis Aprilis, quo primi ad partum dolores se indicabant. Aquae, quae statim ab initio partus lente et clam effluebant, squalidae, cum sanguine mixtae maximeque foetentes erant. Abdomen unoquoque dolore maximam ostendebat sensibilitatem; pulsus semper acceleratus ac duriusculus; facies rubra et sudore obtecta; qua re venaesectio aliquoties repetita et oleum tepidum in abdominis integumenta infricabatur; simul vaporationes ad genitalia, clysmata et iniectiones praescribebantur, quum infantis partu per duos totos dies iam durante orificium uterinum quam tardissime aperiretur. Ab initio interne magnesia sulphurica cum radice valerianae minoris, et postea pulvis Doweri porrigebatur.

laborabant, aut quia permagna abeundi flagrabant cupiditate, voti sui compotes factae, ut una, quae eclampsia parturientium laboraverat et convalescens seu potius restituta erat, altera, quae oovoritide laboraverat, vel ophthalmia muciflua puerperarum, rheumatismo manuum aut pedum, ulceribus labiorum ex gangraena post oedema ortis *) etc., aut ea ex causa dimissae sunt, quia eorum morbi aut plane non sanandi erant, ut phthisis tuberculosa pulmonum, qua duae puerperae correptae erant, aut quia morbi earum talis erant indolis, ut eorum curatio et sanatio omni ratione domi quoque effici posset, ut scabies, fluor albus, abscessus mammae etc.

Quum his remediis sumtis die partus quarto tandem infantis caput in prima positione usque ad pelvis exitum descendisset, dolores vero nunc prorsus cessarent, secale cornutum adhibebatur, quo sumto dolores paulo post efficaciores redditi sunt et infantem sexus sequioris, sed iam plane putrefactam in lucem promoverunt. Primo post partum die puerpera satis bene se sensit; secundo autem questa est, se urinam retinere non posse, sed illam semper involuntarie effluere, qua magnos perciperet dolores. Exploratione instituta in anteriore urethrae parte permagnam fistulam exortam esse omnes qui aderant viderunt. Die tertio mensis Maii, quo puerpera caeterum sana dimittebatur, huius fistulae causa in clinicum chirurgicum recepta est.

*) Historiam huius morbi perquam notatu dignissimam infra paululum accuratius describam.

Mortuae sunt in universum puerperae sex, quarum una post institutam foetus versionem et extractionem atque placentam solutam subito signis apoplexiae *) spiritum ducebat ultimum; tres magna sanguinis copia post partum perdita animam lente viribus tabescentibus exhalabant, et duabus putrescentia uteri causa mortis extitit.

---

*) Non semper mors, quae saepe statim haemorrhagias uteri, qualescunque ante, in et post partum obveniunt, sequitur, sequela tantum est ipsius sanguinis iacturae. Interdum medico quidem contingit, ut sanguinis profluxum remediis aptis adhibitis cito sistat; attamen haud raro reactionibus organismi, quae serius se manifestant, tales valetudinis conditiones exoriuntur, quae demum funesto puerperae eventu finiuntur, et haud tam raro hic exitus lethalis ratione aegrotam tractandi perversa adducitur, quae ipsam tantum sanguinis iacturam et ex ea ortam et provocatam imbecillitatem atque virium defectionem respicit et sic omnes caeteras organismi reactiones negligit ac respuit, quae licet morbose excitatae, aliquo tamen modo salubria naturae molimina habendae sunt et eo ipso, quod perverso modo agunt et tractantur, magnum adducunt periculum. Quales vero haemorrhagia plane sedata et suppressa praecipuae conditiones morbosae excitari possunt, prae omnibus iam clar. Dr. Marshall Hall in Practical Researches etc. ingeniose descripsit. Cui descriptioni ab omnibus partibus absolutae, et praecipue egregiae illae expositioni de vi magnorum sanguinis profluviorum in nervos agendi quum nil notatu digni addere possim, quaedam tantum ad praxin solum spectantia tangam.

1. Legibus ac rationibus ex pathologia sumtis sine

IV.

In neonatis.

Omnium morborum, quibus neonati vexabantur, longe frequentissimus erat blepharophthal-

---

ulla dubitatione omnes in hoc consentiunt, varias organismi partes haud aequali modo et aequali copia sanguinis instructas esse, sed quasdam caeteris maiore eius copia gaudere. Si igitur sanguinis profluvio exorto aliqua in parte collapsus vasorum existit, sanguis sedata haemorrhagia ab iis partibus, quae permagna adhuc eius copia gaudent, ad eas diffunditur, quae eius inopia laborant. Sic abnormis sanguinis circulatio excitatur; qua facile fieri potest, ut hac sanguinis commotione subito apoplexia puerperam inferis tradat, et re vera in huiusmodi casu, quem Lachapelle (Ej. Pratique des Accouchemens etc. Paris. 1825. Tom. II. pag. 422 sqq.) nobis tradit, effusio serosa in cerebro inventa est.

2. Qui vero exitus statim lethalis non semper evenit, sed haec sanguinis commotio inflammationem tantum organi cuiusdam provocare et excitare potest, cuius originem eo minus mirari debemus, si consideramus, excepta illa irregulari circulatione sanguinis profluvio provocata remedia multa, quae inflammationem excitare possunt, fere semper adhibita fuisse, ex. gr. fomentationes frigidae, quibus sanguis ex corporis superficie ad organa interna agitur; iniectiones repetitae liquorum spirituosorum vel adstringentium in vaginam et uterum ipsum; vel si vagina usque ad uteri orificium eo consilio spongia expletur, ut hac immissa sanguinis profluvium sistatur; quae expletio vaginae, si auxilium ferat, haud obiter instituenda est. Quibus non raro ad-

mia, quae omnibus fere anni temporibus occurrens hoc tempore subito aderat et paulo post quoque subito evanescebat sine ulla causa nota. Mox omnes qui in xenodochio erant infantes corripuit, mox quosdam tantum, et caeteros intactos reliquit. Multa quidem, et fere omnia a celeberrimis auctoribus contra hunc morbum laudata remedia tentata sunt, sed ex omnibus quae adhibita sunt denique elucebat, aqua pluviali frigida oculis

---

numeranda sunt medicamina irritantia, falsis saepe indicationibus porrecta. Tali modo igitur ipsa sanguinis iactura praegressa interdum inflammatio exoritur, cuius symptomata plerumque partus reactionibus, ut ita dicam, obscurantur et prorsus celantur, ita ut aegrota inflammationis exitu intereat. In talibus casibus, qui haud tam raro observati sunt (conf. Lchapelle l. l.), sectione instituta pleura, peritonaeum vel ovaria inflammatione correpta inveniebantur.

3. Ipsa demum parturitio, quae cum subita uteri paulo ante foetu ac secundinis expleti et extensi evacuatione coniuncta est, quibusdam in casibus spasmum vel syncopen lethalem acceleravit. Mors his in casibus iisdem fere causis eodemque modo intrat, ut licet rarissime, interdum in abdominis punctione hydropis ascitis causa instituta, nisi statim post operationem abdomen fasciis aptis idoneisque comprimitur. Si igitur in vel statim post parturitionem conditionibus, quae semper obvenire solent, peractam puerpera morti succumbere queat, eo facilius hic exitus lethalis accidere possit necesse est, si organismus iam sanguinis perditi et amissi sequelis debilitatus vel exhaustus est.

linteo superimposita, et si inflammatio vehementior redditur, interne hydrargyro muriatico miti sumto eundem provocari effectum, quam caeteris omnibus remediis. Hic enim morbus sua plerumque decurrebat stadia, quae aqua frigida aeque bene ac caeteris aliis remediis leniora et mitiora reddebantur. Prioribus annis fere semper in secundo morbi stadio collyrium adhibebatur ex aqua rosarum et lapide divino; novissimis vero temporibus illud Guthrii unguentum *) quoque in usum vocabatur. Quae remedia omnia utilia quidem se praebuerunt, sed non maiori gradu, quam aqua pluvialis saepius oculis imposita **). Dimidia fere infantum pars plus minusve hoc morbo laboravit, centum vero et quinquaginta graviori modo affecti sunt, sed accuratissime ac diligentissime observati et curati ad unum omnes oculis

*) R. lapid. infernal. gr. V.
acet. plumb. gtt. III.
axung. porc. drachm. II.
M. fiat unguent.
D. S.

**) Optimo ac felicissimo eventu ac successu hunc morbum externo tantum usu plumbi acetici per plures iam annos semper debellasse refert cl. Naegele (Ej. Uebersicht der im Jahre 1811 in der Entbindungsanstalt zu Heidelberg vorgekommenen Geburtsfälle etc. Heidelberg 1812. pag. 84.) Utinam eadem de hoc remedio referre possimus! sed eius vi contra hunc morbum agendi nostro in xenodochio abiecto remedium quoque abiecimus.

salvis vel minime in meliorem conditionem mutatis e xenodochio dimissi sunt.

Secundum locum, si frequentiam spectas, obtinent aphthae et icterus neonatorum, qui morbi eodem felici eventu curabantur; omnes enim infantes in integrum restituti sunt. Perniciosissimum vero semper praebuerunt exitum convulsiones, hydrocephalus acutus, oedema genitalium cum erysipelate, apoplexia cerebralis, syphilis, chlorosis et atrophia. Induratio telae cellulosae, qua tres laborabant infantes, duos inferis tradidit, tertius vero lana ovilla involutus cum interno usu calomelanos cum moscho morti ereptus est, quem eundem felicem successum iam hoc anno in urbe ipse expertus sum.

Caeteri morbi, quibus neonati plus minusve vexabantur, haud tam magni erant momenti, ut intertrigo, scabies, colica flatulenta, asthma thymicum *), scrofulosis, excepto tamen pemphigo, cuius speciem exquisitissimam ipse vidi et quam Dr. Krauss iunior descripsit **).

Omnes infantes matrum syphilide affectarum aut iam emortui aut semianimes in lucem edebantur et semper summopere debilem et cachecticam

---

*) Curatio et sanatio infantis, hoc morbo vexati, etsi difficillima, felici tandem coronata est successu, ut dissertatio mox apparens clarius et subtilius docebit.

**) De pemphigo neonatorum. Diss. inaug. auctore Gust. Krauss. Bonnae 1834.

praebebant faciem. Plurimi horum diem obierunt supremum.

Mortui sunt, ut iam supra monui, in universum quinquaginta et sex infantes, quorum triginta et quatuor aut exanimes et ad vitam haud revocandi aut iam emortui ac putridi nascebantur. Quod viginti et duos spectat, qui morbis post partum correpti moriebantur, octo atrophia et sex convulsionibus internis obierunt; duo induratione telae cellulosae, duo pemphigo neonatorum affecti statim respiratione anhelosa mortem prope instantem ac imminentem indicarunt; unus octo per dies chlorosi laborans animam exspiravit; unus oedemate penis cum erysipelate cruciatus misera interiit morte; unus hydrocephalo acuto succubuit et unus subito sine omni causa nota e vita discessit. Mater huius infantis morum pravitate iam diu nota valde infanticidii erat suspecta; sed subtilissima et accuratissima cadaveris sectio hanc suspicionem haud comprobavit.

Infans maximi ponderis, nempe duodecim et dimidiae librarum, iam emortuus gignebatur. Huic proximus erat, quod ad pondus attinet, infans vivus, qui pondere libras undecim et dimidiam aequabat. Permulti infantes pondus habebant novem usque ad decem librarum, et alter eorum, qui sectione caesarea servati sunt, erat librarum novem et dimidiae. Levissimi ponderis infantum vivorum erant gemelli, quorum alter libras aequavit duas et dimidiam, alter tres; partus horum

infantum per quadraginta et octo horas duraverat. Infans levissimi ponderis praematurus et emortuus unius tantum et dimidiae librae erat.

V.

Historia morbi.

His peractis atque absolutis nunc ex ordine me de secundinis locuturum esse permulti fortasse exspectabunt. Sed quum plurima, quae hoc loco annotanda essent, iam supra, ubi de haemorrhagiis statim post partum ob placentam nondum solutam secutis et de operationibus in universum verba feci, in transcursu memoravi et nunc repetere nolo, caetera vero haud tam magni sint momenti, ut longo sermone ea explicem, statim ad referendam historiam morbi notatu dignissimi, cuius iam supra (p. 33.) mentionem feci, transibo. Duplici de causa hunc morbum describendum mihi proposui, tum ob magnam quam praebet utilitatem, tum eo consilio, ut specimen sit quoddam historiarum, quales practicantes huius xenodochii obstetricii de partubus ab iis ipsis ad finem perductis conscribunt. Historia haec est:

Barbara K . . n ex pago M . . . . d, primipara viginti annorum, ex primis infantiae annis se semper optima valetudine gavisam esse contendit. Morborum infantibus consuetorum nomina tantum se noscere ait. De parentibus iam dudum mortuis nil referre potest; sorores

tamen omnes perbene se habere et unam earum sine ulla insigni difficultate ac noxa iam semel partum edidisse affirmat. Tempus, quo menses primo apparuerunt, accurate designare non potest; attamen eos permature apparuisse, tum per octo dies continuos fluxisse et quaternis hebdomadibus praeterlapsis regulariter usque ad hanc graviditatem normalem typum semper observasse dicit. Mense Septembre anni 1833 exeunte eorum fluxum iterum exspectaverat, sed frustra; et ex hoc tempore se gravidam esse putabat. Per totum graviditatis decursum se fere nullis molestiis vexatam esse, sed semper perbene se habuisse affirmat, exceptis tamen primis post conceptionem hebdomadibus, ubi vomitu matutino, doloribus capitis et lassitudine totius corporis se laborasse ait, quae vero molestiae postea sponte evanuissent. Mense Februario 1834 exeunte se primos infantis motus sensisse contendit. Die vicesimo quarto mensis Iunii in xenodochium recepta est.

Status praesens. Gravida medium, quod magnitudinem spectat, tenet, sed robusto corporis habitu validisque viribus praedita est. Color faciei pallidus vel paene e flavo albidus, sicuti totius corporis cutis leucoplegmaticam prae se fert indolem. Capilli flavi; arteriarum pulsus modice fortis ac frequens. Mammae bene formatae et valde intumescere coeperunt; premendo tamen nil ex iis effluit. Papillae bene evolutae et eminentes sunt easque circumdat rotunda et fusca areola,

latidutinis quatuor circiter linearum. Per totum pectus vasa caerulei coloris conspici licet, et pectus si tangis, multos duros et nodosos animadvertis locos. Abdominis integumenta valde sunt tensa et praecipue in regione umbilici; umbilicus ipse interne versus, ita ut digiti apicem excipiat. Fundus uteri prope in scrobiculo cordis sentiendus, et in hypochondrio dextro parva dura corpora animadvertenda, quae tangendo et premendo statim in profundum descendunt et sensim sensimque iterum ascendunt. Ope sthetoscopi nil certi audiendum est. Labia maiora parum tument, sed tactu se haud mollia praebent et perangustam inter se habent rimam. Vaginae temperatura a norma haud abhorret, sed muci secretio valde adaucta. Portio vaginalis tres circiter lineas longitudine aequat, eiusque rima transversalis perbene sentienda. Dextrorsum et antrorsum a portione vaginale corpus magnum, durum et rotundum animadvertendum, quod vero tangendo statim sursum evadit. Quod pelvis conditionem omnino spectat, neque externa neque interna exploratione aliquid contra normam inveniri potest.

Ex die decimo quinto mensis Iulii gravida primo de turbata bona valetudine est questa sine omni causa nota; vexabatur enim vehementibus capitis doloribus, qui venaesectione unciarum sedecim tantum debellari potuerunt. Quos dolores paulo post gastricismus secutus est una cum rheumatismo integumentorum abdominis coniun-

ctus; qui quum emeticis et remediis salinis alvum laxantibns paene remotus esset, extremitates inferiores subito usque ad partes genitales ita intumescere coeperunt, ut gravida lectum tenere cogeretur. Prae omnibus labia maiora tanto oedemate correpta sunt, ut unumquodque pugni magnitudinem valde superaret. Cucuphi ex speciebus aromaticis aliisque remediis sine omni successu adhibebantur. Tantum enim abfuit, ut tumor genitalium his applicatis diminueretur, ut magis augeatur et per tota abdominis integumenta extenderetur, immo adeo faciem ipsam corriperet atque occuparet, ita ut verum hydropem anasarcam adesse neminem qui aegrotam videbat fugeret. Superficies quoque vaginae paene tota eandem praebuit morbi conditionem. Die vicesimo secundo huius mensis ob magnos et vehementes labiorum maiorum dolores punctio seu potius scarificationes institutae sunt, quibus magna liquoris limpidi copia effluxit et dolores valde diminuti sunt. Iisdem cucuphis licet per diem continuo adhibitis postero mane tamen singuli labiorum loci magnis nocturnis doloribus antecessis gangraena destructi erant, quae praecipue mediam utriusque labii partem circa rimam obtinebat, inferiorem vero eorum superficiem, qua scarificationes institutae erant, plane intactam reliquerat. Scarificationes hoc die eodem cum successu repetitae sunt; dein aqua saturnina et tum cataplasmata aromatica superimposita; plan-

tae pedis utriusque tinctura cantharidum cum spiritu camphorato infricabatur. Ad usum internum aegrota habebat infusum herbae digitalis cum nitro depurato. Per diem magna liquoris copia ex locis scarificatis exstillavit, qua tumor labiorum valde collabebatur; attamen gangraena magis magisque processit, ita ut circa vesperam commissuram posteriorem iam corriperet atque in vaginam ipsam penetraret. Eodem tempore frigus cum calore sequente gravidam magnopere defatigavit; qua re morphium aceticum interne datum est, quod noctem reddidit multo quietiorem. Die vicesimo quarto eadem remedia externa adhibita sunt; ad usum internum vero praescribebantur extracta amara cum tartaro tartarisato et vino stibeato, quibus sumtis sensus communis quoque in meliorem statum mutatus est.

Partus. Noctu primi apparuerunt dolores ad partum, licet iam duobus diebus ante gravida interdum dolores trahentes in abdomine sensisset. Aquae iam effluebant, quum orificium uterinum vix apertum esset. Caput foetus in prima sic dicta positione praeiacens celeriter in pelvis cavitatem descendit et orificio uterino mox plane aperto usque ad perinaeum processit; sed nunc efficacitas dolorum, qui parturienti magnos cruciatus attulerant, plane cessavit, ad quam promovendam borax veneta (gr. XII) et pulvis radicis valerianae minoris (scrup. dimid.) porrigebatur; sed nullo cum successu. Duabus horis post parturiens eodem eventu

secale cornutum (gr- XV) sumsit; qua re infans forcipe in lucem protraheretur necesse erat; sed iam dudum diem obierat supremum. Memoratu valde digna est temperatura partium genitalium externarum per totum partus decursum subfrigida. Perinaeum, quod toto circuitu gangraena correptum erat, licet accuratissime sustentatum in pollicis longitudinem rumpebatur.

Puerperium. Statim post partum puerpera de vehementibus et lancinantibus doloribus partium genitalium externarum questa est, qui vero horis aliquot praeterlapsis perpetuo adhibitis prioribus remediis externis remittebant. Lochia bene fluunt; sudor totius corporis magnus; urinam puerpera statim post partum bene mittere potuit; sensus communis bonus.

Die XXVII. Labia maiora colorem prae se ferebant album, et partes gangraena affectae caeruleo annulo circumdatae erant. Caetera ut heri.

Die XXVIII. Hac nocte puerpera per quasdam horas bene dormivit; sudor corporis adhuc magnus; alvus nondum soluta clysmate reddebatur fluxa; urinae magnam copiam sine ullo dolore vel ulla molestia mittit puerpera; abdomen magis tensum et tumefactum quam hesterno die et fluctuatio perspicue sentienda est. Partium genitalium gangraena ex hesterno die haud processerat. Partes genitales unguento terebinthinae cum tinctura benzoës composita obtectae sunt, quibus cataplasmata ex furfuris, cicuta, hyoscya-

mo et floribus sambucci parata superimponebantur. Ad removendum ichorem ex vagina saepius iniectiones infusi chamomillae vulgaris repetitae sunt.

Die XXIX. Noctem transegit inquietam puerpera ob magnos urentes dolores labiorum maiorum; singuli loci gangraena affecti detrudebantur et removebantur; gangraena haud quidem processit, attamen magnitudinem palmae manus satis magnae aequavit. Puerpera multum sudat et de magna queritur site; lingua parum albide obtecta et rubicunda; pulsus arteriarum frequens, duriusculus; alvus laxa; qua re interne infusum herbae digitalis purpureae cum nitro depurato datum est.

Die XXX. Per noctem puerpera parum dormivit, licet dolores partium genitalium valde diminuti essent; multum sudat et urinae mittit magnam semper copiam; alvus ter sponte soluta; pulsus arteriarum octoginta circiter ictuum; extremitatum inferiorum ambitus valde minor redditus, et genitalia multo meliorem praebebant adspectum. Partes gangraena affectae forfice solvebantur et removebantur.

Die XXXI. Conditio aegrotae fere eadem ut heri. Secretio lactis infricato mammis oleo tepido et stuppa imposita omnino fere sublata est. Lochia bene fluunt.

Die I. mensis Augusti. Noctem quietam et tranquillam puerpera transegit; sudor magnus;

urinae copia haud tam magna ut prioribus diebus; abdomen valde adhuc tumefactum, pedes vero sensim sensimque attenuantur; alvus soluta; sitis magna; appetitus ciborum nullus; lingua albide obtecta. Interne praescribebatur extractum trifolii fibrini cum ammonio muriatico, et externe unguentum digestivum cum linteo carpto adhibebatur.

Die II. Urina maiori copia mittitur, sed dolores excitat exiguos. Caetera ut heri. Cataplasmata tepida continuantur et partes gangraena correptae forfice removentur. Vulnus multo meliorem quam antea praebet adspectum.

Die III. Noctem perbonam habuit aegrota; sensus communis multo melior; vires restaurari coeperunt et vulnus quoque ad minorem reducitur ambitum continuis adhibitis remediis externis.

Die VII. In dies aegrota se meliorem ac validiorem sentit; interne nulla medicina, sed tantum cibos recreando aptos sumit aegrota. Sedecim circiter diebus post partum praeterlapsis vulnus labiorum granulationibus ex fundo ortis claudi coepit, et die XIX. mensis Augusti, quo puerperae magnum desiderium domum redeundi tandem expleretur necesse erat, totum vulnus paene clausum erat. Partes genitales externae eandem quam antea praebebant speciem, et sola perinaei ruptio nondum plane coalita erat, cuius sanatio vero tota nonnullis diebus post certo evenit.

	anni	infantes.	forceps.	versio.	sectio caesarea.	perforatio.	partus praematurus artificialis.	placentae solutio.	matres mortuae.	infantes mortui tum in, tum post partum.
Betschler	1829—30	376	10	8	„	„	„	„	2	25
Busch	1819—25	781	49	12	„	1	„	6	6	64
Haase	1828—32	1088	92	9	„	4	5	22	28	134
Jörg	1811—18	594	40	6	„	6	„	1	4	83
Kilian	1828—34	508	23	4	2	„	„	4	6	56
Mende	1825—30	523	15	7	1	1	2	„	6	29
Merrem	1825—26	301	19	1	2	„	„	„	1	25
Naegele	1819—24	1295	41	19	„	4	„	„	13	95
d'Outrepont	1826—33	642	27	3	1	1	„	1	10	34
Rainer	1824—26	289	8	2	„	„	„	„	„	36
Ritgen	1814—18	282	30	8	„	1	1	12	1	40
El. v. Siebold	1818—22	855	78	3	„	„	3	1	12	76
Ed.C.J.v.Siebold	1823—28	983	43	13	1	1	„	„	17	78
Stein iunior	1805—07	296	46	8	„	„	„	7	1	22

VITA.

Natus sum ego, Petrus Pierung, anno huius saeculi sexto, die vicesimo sexto mensis Martii, Bonnae, parentibus adhuc vivis et prospera hucusque valetudine donatis, patre Petro Pierung, matre Catharina Geissenhoven. Fidem amplector catholicam. A teneris usque ad annum aetatis undecimum a parentibus et in scholis publicis educatus gymnasium inde adii Bonnense, quod per octo annos continuos frequentavi. Examine rite absoluto et maturitatis testimonio instructus in almam hanc litterarum universitatem receptus sum anno MDCCCXXV a Rectore t. t. Magnifico, celeb. A. W. a Schlegel. Per quatuor annos continuos antiquitatis studiis operam navavi, Seminarii philologici sodalibus, et quidem extraordinariis adscriptus. Examine

pro facultate docendi superato consilium iam ceperam praeceptoris muneribus fungendi, quum certis causis atque argumentis ductus hoc consilium mutarem iterumque hanc almam litterarum universitatem adirem, medicinae studiis totum me dediturus. Aestate anni MDCCCXXX. a Rectore t. t. Magnifico, celeb. a Drotse-Hülshoff in civium academicorum numerum receptus, nomen apud clariss. Mayer, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum professus sum.

Praelectiones, quas frequentavi, hae sunt:

I. *philosophicae*:

Logica et psychologia apud cl. van Calker, physica experimentalis apud cl. a Münchow, botanica generalis apud cl. Treviranus, chemia experimentalis apud cl. Gust. Bischoff, mineralogia apud cl. Noeggerath, zoologia apud cl. Goldfuss.

II. De arte medica, quibus interfui, hae sunt:

Anatomia generalis et specialis apud cl. Mayer et cl. Weber, qui quoque in arte cadaverum dissecandorum mihi duces fuere. Encyclopaedia et methodologia artis medicae, physiologia cum experimentis coniuncta, pathologia generalis, semiotica generalis et anatomia comparans apud

cl. Müller; materia medica universalis, formulare, medicina forensis et epizootica apud cl. Ernest. Bischoff; diaetetica, cholera asiatica et pathologia generalis apud cl. Harless; pathologia specialis et morbi contagiosi apud cl. Naumann; semiotica specialis apud cl. Albers; anthropologia, doctrina de morbis psychicis nec non therapia generalis ac specialis apud cl. Fr. Nasse; chirurgia apud cl. Kilian; operationum chirurgicarum praecepta, morbi oculi humani et ars fascias applicandi apud cl. Wutzer; doctrina de fracturis et luxationibus ossium apud cl. H. Nasse; ars obstetricia et doctrina instrumentorum obstetriciorum apud cl. Kilian.

In clinico propaedeutico per semestre, in clinico therapeutico per tria semestria cl. Fr. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per annum auscultanti et per annum practicanti cl. Wutzer, qui quoque in operationibus in cadavere instituendis mihi fuit moderator, in clinico obstetricio et in exercitationibus in phantomate instituendis per annum et dimidium cl. Kilian mihi duces fuerunt.

Examine rigoroso superato in xenodochio obstetricio Bonnensi, quod auspiciis cl. Professoris

Kilian floret, assistentis munera et officia suscepi, et quantum ex eo tempore in arte obstetricia profecerim, nemo me melius exploratum habet.

Quibus omnibus professoribus pro summis in me collatis beneficiis etiam atque etiam maximas debere et referre gratias non possum quin publice profitear.